



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XXIII. De mane & vespere orando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

re, elationem fugere, & seniores venerari, iuniores diligere, in Christi amore pro inimicis orare. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, & de Dei misericordia nunquam desperare. Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis, quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, & in die iudicii reconfignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur quam ipse promisit: *Quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam præparauit Deus his qui diligunt eum.*

1. Cor. 2.

XXII.

Commonendi sunt fideles, vt generaliter omnes a minimo vsque ad maximum orationem dominicam & symbolum discant: & dicendum eis quod in his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit. Et nisi quis has duas sententias memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione sapissime frequentauerit, catholicus esse non poterit. Constitutum namque est, vt nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lauacro fontis alium suscipiat, neque coram episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum & orationem dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minime perduxit.

XXIII.

Dicendum illis, vt singulis diebus qui amplius non potest saltem duabus vicibus oret, mane scilicet & vespere, dicens symbolum siue orationem dominicam: Qui plasmasti me miserere mei, vel etiam, Deus propitius esto mihi peccatori: & Domino gratias agens pro quotidiana vitæ com meatibus, & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & a * peccatoribus segregare: his actis, & solo Deo creatore suo adorato, sanctos inuocet, vt pro se intercedere ad maiestatem diuinam dignentur, hæc facient quibus basilicæ locus prope est in basilica. Qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in siluis aut in agris est, vbicumque enim hora matutina vel vespertina inuenerit, sic faciat, sciens Deum vbique præsentem esse, dicente Psalmista: *In omni loco dominationis eius.* Et: *Si ascendero in cælum, tu ibi es, &c.*

Psal. 102.

Psal. 138.

XXIV.

Dies vero dominica, quia in eo Deus lucem condidit,